



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Caput 24 [i. e. 23]. De Figuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

ex numero Poëtico ; unde Oratori quoque certa syllabarum dimensio observanda est, de qua postea. c. 34. & sequentibus, sicut & de collocatione primum agit à capite 31. Prius enim agendum erat de figuris verborum & sententiarum, quæ in ipsa collocatione, & numero oratorio implicantur & involvuntur, cum post tropos præcipuum sint orationis ornamentum.

C A P U T XXIII.

De Figuris.

Figuratus loquendi modus est, quo communiter non utimur, ut patet ex figuris in Syntaxi positis. Unde figura definitur: *Est confirmatio quedam, id est, forma, ratio, atque modus loquendi, quæ communiter non est in usu, seu quo vulgus in ordinario sermone plerumque non utitur.* Dixi: *plerumque, & communiter,* nam sicut vulgus quandoque tropis utitur, ita & figuris, v.g. repetitione, traductione, interrogatione, optatione, exclamatione. Verùm hoc facit beneficio eloquentiæ naturalis aut artificialis auditu aliorum comparatæ. Hæc definitio convenit etiam locutionibus in Syntaxi selectioribus, elegantis & phrasibus. Item tropis ac figuris syntacticis & poëticis, à quibus tamen figura Rhetorica differre debet. Unde sic definiti potest. *Est eximius &*

elatus, supra communem loquendi modum, qui rationem non tantum exornat (uti elegantia, phrasae, tropi) sed etiam animat: Rhetorica enim figura (quod non facit Syntactica vel Poëtica) animare atque vitam tribuere debet orationi, atque ideo vim, efficaciam, energiam, & impressionem quandam habere debet, (ordinatur enim ad morum, seu affectum, aliquando lenem, aliquando vehementem, aliquando moderatum) in verbis, aut in sensu & significatione verborum. Si vim habet in verbis, est *figura verborum*, & in sensu & significatione, est *figura sententiarum*. Quod à tropo differat, figura patet ex dictis, tropus enim communiter loquendo non animat orationem, sed tantum exornat. Ac praeterea tropus ita exornat, ut verba accipiat in significatione alia, quam verba habeant; figura autem accipit verba in sua sibi que propria significatione. Accidit tamen frequenter, ut in unam eandemque constructionem & tropus & figura conveniat, ut si in verbum aliquod translatum repetam.

v. g. floret etiamnum, floret
Ecclesia.

